

SCRIPTA

Numéro Scripta : 727

Auteur(s) : Renaud de Lindebeuf [chevalier]

Bénéficiaire(s) : Henri, Le Tréport, Saint-Michel (abbaye, abbé)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : 1237, septembre

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation par Renaud de Lindebeuf, chevalier, d'une donation faite à l'abbaye

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° CLXX, p. 188-190.

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus, presentibus et futuris, presentem cartam inspecturis Henricus, Dei permissione abbas de Ulteriori Portu, et ejusdem loci conventus eternam in Domino salutem. Noverit universitas vestra quod dominus Reginaldus de Lindebotu, miles, concessit Deo et beato Michaeli de Ulteriori Portu, nobis et monachis nostris apud Sanctum Petrum de Urrevilla moram facientibus, tale donum et talem elemosinam, quod Haisia, relicta Osberti Ruesselin, et Willelmus, filius ejus et heres dicte Haisie, et Anor, soror dicte Haisie, fecerunt nobis et monachis nostris apud Urrevillam moram facientibus de omni feodo quod de dicto Reginaldo tenebant, scilicet feodum Balduini situm juxta Altifagum, de feodo ejusdem Reginaldi de Bosco Mellet, q[ui] feodus ei debebat servicium equi ; et dictus Reginaldus relaxavit et quitavit et elemosinavit Deo et beato Michaeli de Ulteriori Portu, nobis et monachis nostris apud Sanctum Petrum de Urrevilla moram facientibus, dictum servicium equi et omnia jura feodi ad manum ipsius et ad manum heredum suorum venientia et que possent evenire, [per v]iginti et tres solidos turonensium reddendos annuatim, ad festum sancti Michaelis, ipsi et he[redibus] ejus de nobis et de dicta domo Sancti Petri de Urrevilla, salvo jure capitalium dominorum. [Et] sciendum est quod, quamdiu aliqui de monachis nostris habitabunt apud Urrevillam, ipsi omnes proventus et profectus de predicto feodo per predictum redditum percipient ; et si contingat, quod absit, quod monachi apud Urrevillam non maneant, sed ad claustrum nostrum de Ulteriori Portu per mandatum superioris revocentur, nos nichilominus omnes proventus et profectus de predicto feodo, sine contradictione vel reclamacione de dicto Reginaldo vel heredibus suis facienda, per [predictum] redditum, pacifice percipiemus et habebimus ; et dictus Reginaldus et heredes ejus possunt [facere] plenarie justiciam in dicto feodo Balduini, pro predictis viginti et tribus solidis annui red[itu]s, et pro jure capitalium dominorum, quando evenerit, et non propter aliud ; et nos, per presentem cartam sigillis nostris munitam, confitemur quod nos tenemur solvere predicto Reginaldo et heredibus ejus predictos viginti et tres solidos turonensium, ad predictum terminum, de predicto feodo, pro servicio equi et pro omnibus rebus ad manum dicti Reginaldi et heredum suorum venientibus, et que possent evenire, et quod dictus Reginaldus et heredes sui possunt facere plenarie justiciam in dicto feodo Balduini, pro predicto redditu, si non esset ad terminum predictum solutus, et pro jure capitalium dominorum, quando evenerit, et non propter aliud. In cujus rei testimonium, presenti carte sigilla nostra duximus apponenda. Actum anno Domini M^o. CC^o. XXX^o. septimo, mense septembris. Testibus hiis :

Philippo Blanket de Wiblevilla, Waltero de Ponte, presbitero de Maneriis, Rogero Roele, presbitero de Urrevilla, Hugone de Belevilla, milite, Roberto Binet, filio ejus, Thoma Fruede, Luca Anglico et Ricardo le Page servientibus Henrici, tunc abbatis de Ulteriori Portu, et multis aliis.